B. N. C
FIRENZE
1070
43

1070.43

PROPOSITIONES PARALELLÆ

Michaelis Baÿ, & Henrici de Noris

Auctore

A. R. P. Fr. Ioanne à Guidicciolo Minore Obſeruante, Mantuano, Lectore Iubilato, Eiuſdem Conuentus Mantuæ Guardiano.

FRANCOFVRTI

Apud Ioannem Petrum Zubrod. 1676.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

EMINENTISSIMIS,

Ac Reuerendiſſimis Dominis meis Cardinalibus Sacræ Congregationis Sancti Officij Romani.

CVM mihi accidiſſet Mantuæ, vbi eram Guardianus exire, & incurrere in aliquos libros, & ſcripturas de præſentibus controuerſijs, quæ agitantur hoc tempore, volui legere, & expendere, quæ auctores de illis tradebant, & occaſione vſus legi conſtitutiones Summorum Pontificum Vr-

bani Octaui, & Innocentij Decimi, & Alexandri Septimi, quibus lectis decreui has propoſitiones colligere, & cum omni humilitate, & ſummiſsione Eminentijs Veſtris exponere, zelo tantum ductus, & deſiderio videndi has controuerſias terminatas, quæ pariunt inquietudinē pijs hominibus, & fortaſſe aliquod periculum, dum eas amplectuntur videntes ſuſtineri, habentes pro approbatis, quandiu

nulla

1070
143

nulla reſolutio capitur in Sacra iſta inquiſitione. Compoſui tantùm, circa opiniones Baij, quia prius incidi in Bullam Summi Pontificis Vrbani Octaui in qua referuntur Bullæ Pij V. & Gregorij XIII. Idem fortaſsè facturus circa opiniones Ianſenij, ſi mihi fuerit licitum per facultatem Eminentiarum veſtrarum, à quibus veniam ſuppliciter peto de iſta mea importunitate. Omnia mecum ſubijcio pedibus Eminen-

tiarum Veſtrarum, quas Deus conſeruet ad honorem, & gloriam nominis ſui, & Eccleſiæ defenſionem, & propagationem.

V.V.E.E.

Seruus Humillimus, & Deuotiſſimus.

Frater Ioannes à Guidicciolos.

PARALELLVM

Propoſitionum damnatarum Michaelis Baij, & quarundam ſimilium Henrici Noris.

Prima Baij damnata quæ eſt in Ordine 12.

Pelagij ſententia eſt: Opus bonum extra gratiam adoptionis factum, non eſt Regni Cœleſtis meritorium.

Prima Noris eiuſdem ſenſus in Vind. Pag. 48. lin. 10.

Nvmquam Iulianus, aliĳque Pelagiani admiſere opera meritoria ſine donantia ius ad gloriam, ſine gratia iuſtificante.

Ratio vtriuſque propoſitionis eſt, quia in ſententia Pelagianorum, illa opera bona ſiebant ex viribus naturæ,

 ſine

ſine vlla gratia. Error autem in eo eſt, quia ante gratiam iuſtificantem datur gratia actualis excitans cum merito de congruo apud catholicos. Pelagiani verò aiebant per illa opera ante iuſtificationem facta ex ſolis viribus naturæ mereri gratiam ſanctificantem, ita vt, gratia non eſſet gratia; quia naturæ meritis reddebatur, & tegebant ſuum errorem ſubtiliter dicendo per gratiam ſanctificantem, mereri gloriam, non autem per opera antecedentia gratiam, quæ tamen opera merebantur ipſam gratiam ſanctificantem; vnde ipſamet gloria ad naturæ merita redibat, & tota gloria, & gratia ſanctificans, naturæ viribus tribuebatur.

Quod autem peius eſt Henricus Noris dicit, illam ſententiam Pelagianorum hac in parte eſſe Catholicorum. Ibid. in Vind. pag.48. lin.30. & 35.

Secunda Baij damnata in Paralello, eſt in Ordine 26.

Omnia opera infidelium ſunt peccata.

Secunda propoſitio Noris in Vind. Pag.90. lin.4.

Infideles peccant non obſeruando legem, & opera, quæ ipſi faciunt, ſemper ſunt peccata.

Ter-

Tertia Baij, quæ eſt damnata in Paralel-
lo in Ordine 28.

Liberum arbitrium, ſine gratia Dei adiutorio, non niſi ad peccandum valet.

Tertia Propoſitio Noris pag. 42.
lin. 30.

Sanctus Doctor Auguſtinus aſſeruit, nullas in infidelibus ex ſolius liberi arbitrij viribus virtutes reperiri, & ſi quæ in ijſdem virtutes fuerint, eaſdem nequaquam ipſorum voluntati, ſed diuinæ gratiæ adſcribendas eſſe.

Quarta Baij damnata in Paralello, & in
Ordine 61.

Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiue non malus, & gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit, & docet.

Quarta Noris in Vind. pag. 47. lin. 11.

Cenſeo hæc opera bona, non fuiſſe facta ab infidelibus ſuis ipſorum viribus derelictis, ſed præmunitis ſpecialibus diuinæ gratiæ auxilijs.

Hic notandum Henricum Norim in Vind. à pag. 115. ad 119. contendere, dictum illud Pauli Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt* omninò intelligendum eſſe de fide diuina habituali. Quo ſenſu affirmat Auguſtinum, & antiquam Eccleſiam illa verba Pauli accepiſſe. Quod ſi verum eſt propoſitio Baij de operibus infidelium. *Quod omnia ſint peccata* non poteſt condemnari, quia ſequitur ex illo dicto *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt:* vt ait Noris, obijciens contra ſe; *ſequitur,* inquit *Omnia opera infidelium eſſe peccata.* Et quidem ſequela concludit contra Norim. Tu fateris in eo loco pag. 117. illam expoſitionem dicti Pauli *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, eſſe Auguſtini, & Patrum antiquæ Eccleſiæ, ac proinde eſſe veram; non poteſt igitur damnari ſequela, quod eſt Dogma Baij ſecutum ex doctrina Patrum, & tamen eſt damnata à Summis Pontificibus. Pio V. Gregorio XIII. & Vrbano VIII. in ſuis Bullis. ergo vel Patres illi Eccleſiæ antiquæ errauerunt, vel Pontifices malè condemnarunt doctrinam Baij dicentis *Omnia opera infidelium eſſe peccata.* Quod ſanè argumentum concludit contra Norim tenentem illā eſſe ſententiam Baij, & expoſitionem Auguſtini, & Patrum, & ſic inducit Noris manifeſtam contradi-

ctionem antiquæ Eccleſiæ, & noſtræ ſub illis Pontificibus Romanis.

Errat manifeſtè Noris dicendo illam expoſitionem de fide, eſſe intelligẽdam de fide diuina habituali. Patet euidenter contra ipſum, quia illi Patres non ſunt locuti de fide habituali, ſed de conſcientia dictante, vel de fide illuminante, quæ dicitur irradiatio fidei. Ita Sanctus Auguſtinus, cui ille falsò attribuit illam explicationem in Vind. pag. 114. & ſequent. Legatur Epiſtola 57. in fine, & lib. 1. de Baptiſmo contra Donat. c. 8. & omninò manifeſtè libro de Prædeſt. Sanct. c. 7. vbi loquens de Cornelio Centurione, *Fides*, inquit, *non ex operibus: ſolet enim dici ideo credere meruit quia vir bonus erat, antequam crederet. Quod de Cornelio dici poteſt, antequam credidiſſet in Chriſtum. Nec tamen ſine aliqua fide donabat, & orabat.*

Non habebat ergo fidem diuinam habitualem, ſed aliquam fidem excitantem, & illuminantem tranſeuntem, per modum actualis inſpirationis, quæ excitabat ad donandum eleemoſynas, & orandum, vt eſſet illud opus honeſtum, & ſupernaturale; de actibus autem honeſtis naturalibus, nulla eſt mentio, atque adeò nulla contentio inter Eccleſias antiquam, & noſtram. Ponderandus eſt hic error Henrici Noris

quem ipſe præuidit, & cauere voluit pag. 117. ſed non potuit euitare inconuenicns committendi inter ſe Pontifices antiquos, & modernos.

Concordat itaque Doctrina Baij, & Noris de operibus infidelium.

Quinta Baij damnata in Paralello eſt in Ordine 39.

QVod voluntariè fit, etiamſi neceſſario fiat, liberè tamen fit.

Sexta Baij damnata in Paralello eſt in Ordine Bullæ 41.

IS Libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine, non reperitur in ſcripturis; ſed ſolum nomen libertatis a peccato.

Septima Baij damnata in Paralello eſt in Ordine Bullæ 67.

SOla violentia repugnat libertati hominis naturali.

Octaua Baij damnata in Paralello eſt in Ordine Bullæ 63.

HOmo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſariò facit.

Hæ

Hæ quatuor propoſitiones comprehenduntur à Noris in Vind. Auguſtin. pag.79.80.81. Continét eandem doctrinam Baij de libertate: ideſt poſſe ſtare libertatem ad merendum, & demerendum cum neceſſitate, quia ſola violentia, ſiue coactio repugnat libertati, quæ item fuit tertia propoſitio damnata in Ianſenio.

Exſcribamus hic verba Noris, quæ idem Dogma continent, & quod eſt deterius, attribuit illud Auguſtino cum Caluino, & Ianſenio, & ſequacibus.

Afferens pag.79. Obiectionem Vaſquez, Goneti, Morainij, & aliorum, quæ huiuſmodi eſt. *Nullus puniri debet ob id, pro quo nec vituperari, aut reprehendi poteſt; igitur nec puniri.*

Reſpondet dicendo: duo eſſe genera peccati: vnum quod eſt omnino liberum, & ſimpliciter peccatum, alterum quod eſt peccatum, & pœna peccati iuxta doctrinam Auguſtini; & reſpondet primum genus peccati committi cum libertate indifferentiæ, ſecundum minimè, & teſtimonia Auguſtini adducta à contrarijs pro libertate cum indifferentia reſtringit ad primum genus peccati, in quo eſt peccatum actuale Adami; in cæteris autem, in quibus eſt originale, & alia actualia, quæ ſunt pœnà peccati ponit neceſſitatem, &

cum

13

cum ea ſtare affirmat peccatum ; & in hunc ſenſum affert verba Auguſtini, quando ponit libertatem cum indifferentia ad peccandum, vno tantùm citato loco, qui eſt lib. 1. Operis imperfecti c. 48. & altero lib. 5. eiuſdem operis c. 52. ſpecialiter autem pag. 86. lin. 17. celebre teſtimonium Auguſtini pro libertate indifferentiæ ad peccandum poſitum in lib. de duab. animab. c. 11. *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere* cum Auguſtino in eo loco operis imperfecti reſtringit ad ſolum peccatum Adami iiſdem verbis Auguſtini, qui ſic ait, eo loco lib. 1. operis imperfecti c. 48. *Ipſe Adam eſt, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem; Peccatum eſt voluntas retinendi.*

Qui etiam eodem loco non vult comprehendere ſub ea definitione libertatis cum indifferentia peccatum quod eſt pœna peccati; vnde concludit Noris ex Auguſtino. *Certum eſt igitur poſſe peccatum Originale eſſe verè, & propriè peccatum, etiamſi non inde liberum ſit abſtinere, & doctrinam illam traditam à Sancto Doctore lib. de duab. Animab. c. 11. applicandam non eſſe peccato originali, de quo ibi Sanctus Pater non loquebatur*; & concludit pag. 81. lin. 5. reſpondens Iuliano obiicienti contra iſtam neceſſitatem peccandi

Deum

Deum fore auctorem peccati. *Numquid hoc malum hominis vbi dicit, quod nolo malum hoc ago, ipſum hominis pulſat auctorem? & tamen eum qui ſic agit malum, ſatis apparet ad neceſſarium perueniſſe: neceſſitate quippe agit, quod non agit voluntate*; & hac reſponſione firmat peccatum, quod eſt pœna peccati non indigere libertate indifferentiæ, ſed ſtare cum neceſſitate.

Hæc doctrina Henrici Noris eſt Baij, & Ianſenij, & Caluini, quod euidenter probat Pater Alexander Sebille lib. 5. c. 25. adductis verbis Caluini, & Ianſenij, vbi ſic ait pag. 410. *Ianſeniſtæ ſimiles definitiones, & ſententias non niſi de primo peccato Adæ intelligi volunt, idem prorſus volunt Hæretici; adducamus verba primo Ianſenij, deinde Caluini, & fidem facient huius quod dico. Ianſenius reſpondet ſic Tom. 2. lib. 2. c. 4. Cum ergo Doctor profundiſſimus Auguſtinus proprijs ſuis principijs de peccati libertate à Pelagianis premeretur, aſſeueranter docuit huiuſmodi ſententias, ac definitiones ſuas non eſſe de quolibet peccato intelligendas, ſed de illo ſolo, quod in Paradiſo primus parens ſumma voluntatis libertate perpetrauit. Conſonat Caluino reſpondenti eodem modo, nam cum Pighius obieciſſet vtrumque illum Auguſtini locum à nobis poſitum, Caluinus his verbis ſatisfacit. Inſpiciat locum qui volet, ſi non de peccati*

initio loquatur. Et paulò inferius, poſtquam & ipſum etiam teſtimonijs Auguſtini comprobaſſet concludit; Videt ipſius auctoris teſtimonio, qui eius certè quod dixit interpretandi ius habere debet, non niſi primo Adæ peccato conuenire hanc definitionem. Igitur ipſiſſima eſt reſponſio Caluini, & Ianſenij. Hæc omnia Pater Sebille, qui pergit probando illam expoſitionem adductam, & probatam ab Henrico Noris eſſe hæreticorum. Auguſtinum autem ipſe Sebille aliter explicat, & intelligit cum Sancto Thoma in alio ſenſu catholico, quē proponit lib. 1. c. 17. Cum D. Thoma, & Sebille debuiſſet Noris exponere Auguſtinum in ſenſu catholico, non autem, ſicut fecit, cum Calnino, Ianſenio, & Baio, & ſequacibus in ſenſu hæretico. Nec obiiciat Noris locos illos libri primi imperfecti contra Iulianum; nam illi libri ſunt ambigui, nec indubitati inter opera Auguſtini, & nuper inuenti, & in multis propoſitionibus corrupti: quarum vna eſt illa, quam Noris adducit; continet enim contradictionem manifeſtam cum alijs Auguſtini locis; vbi perpetuò, & clarè Sanctus Auguſtinus docet ad merendum & demerendum omninò reperiri libertatem indifferentiæ, quos diligenter affert idem Pater Sebille lib. 1. c. 16. & confirmat auctoritate Sancti Thomæ c. 17. Cum his

ſen-

ſentiendum eſt, & cum catholicis, non autem cum hæreticis, quos allegat idem Sebille, & ſequitur Noris.

Aduertendum etiam hunc eundem locum de lib. 1. imperf. afferri, & exponi ab eodem Patre Sebille ex mente D. Thomæ lib. 1. c. 17. Illud eſt certum Auguſtinum in ſuis certis, & indubitatis operibus ſemper docuiſſe peccatum originale liberum fuiſſe in Adamo, eadem libertate qua ille peccauit, quod notauit Bellarminus lib. 6. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati c. 18. videantur Auguſtini teſtimonia libro de vera Religione c. 14. & lib. 1. de peccat. merit. & remiſs. c. 10. & lib. 3. c. 7. lib. 6. de ciuitate c. 27. lib. 2. de Nupt. & concup. c. 26. & 28. lib. 6. cont. Iul. c. 16. lib. 1. retract. c. 13. & 15.

Nona Baij damnata in Paralello eſt in Ordine 55.

Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem; qualis nunc naſcitur.

Hæc propoſitio de concupiſcentia communiter intelligitur, quaſi reprobetur à Pontificibus, quia Baius putabat concupiſcentiam eſſe per ſe malam, & vitioſam, non autem eſſe proprietatem naturæ, quemquam per peccatum vitiatam. In hoc autem ſenſu Noris negare

gare debet poſſe hominem creari cum concupiſcentia, imo à fortiori, quia ille ſentit eam eſse natura ſua; & ſecundum eſſentiam malam. Ita in Vind. pag. 32. *vt*, inquit, *plane euidens fiat ſecundum propriam eſſentiam eſſe malam, non verò ſecundum imperfectionem annexam*. Et quamquam conetur tergiuerſari dicens; Baium eſſe intelligendum de concupiſcentia, quæ eſt formale peccatum, in quo ſenſu negat ſe hanc propoſitionem dixiſſe, tamen dum admittit eſſe malam ſecundum ſuam naturam, coincidit cum Baio. Vtcumque ſit in ſententia Noris, illa propoſitio ſequitur, ſic enim ait pag. 36. ad finem.

Non dicimus, inquit, *Deum non potuiſſe condere hominem cum concupiſcentia rebelli, quòd illa ſit formaliter peccatum, ſed quia licet ipſa peccatum non ſit, eſt tamen ad peccatum inclinans, & quidem vehementius, quàm quilibet habitus vitioſus ab homine contractus*.

Tenet igitur Noris ſententiam negatiuam, quam Papa prohibuit in quocumque ſenſu ſumatur; non poteſt enim eſſe vera niſi affirmatiua ſit falſa; mens autem Pontificis fuit ſtatuere affirmatiuam. Scilicet Deus potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur cum concupiſcentia naturali, quæ eſt proprietas naturæ, vti com-

communiter tradunt Theologi, ſatis ſit Bellarminus lib. de Grat. Primi hom. c. 7. pag. 28. & lib. 5. de amiſ. grat. & ſtat. peccat. c. 8. pag. 385. & c. 15. pag. 435.

Alio item modo iſta propoſitio Baij iuxta Norim, ibidem pag. 35. damnatur, ſcilicet propter acerbam cenſuram, qua illam afficit Baius vocans Pelagianam. Hoc item modo damnanda venit propoſitio Noris, quia ille contrarios auctores, qui ſequuntur ſententiam de concupiſcentia, vt proprietas eſt naturæ, vocat Pelagianos, & affirmat ſentire cum Pelagio, & Iuliano. Legatur pag. 30. & 31. & 32. non poteſt igitur fugere cenſuram, quam Baius, eodemmet Noris Iudice meretur.

Et quoniam Summus Pontifex Vrbanus Octauus Paſtor vigilantiſſimus in ſua Bulla expedita anno 1644. ſic ait.

Has, propoſitiones. *Damnamus, circumſcribimus, & abolemus; deque iiſdem & ſimilibus poſthac, quoquo pacto loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus.* Accepto illo vocabulo *ſimilibus* neceſſe eſt addere hic aliquas propoſitiones ſimiles Baianis iſtius auctoris Henrici Noris, quæ per eandem Bullam videntur prohiberi.

Prima. *Homo ex peccato Originali incurrit in priuationem potentiæ proximæ expeditæ ad perſeuerandum in ſemel accepta gratia*

ſancti-

ſanctificante. *In Vind. pag.* 32. Rurſus. *Per gratiam ſanctificantem non tollitur priuatio potentiæ proximæ expeditæ ad perſeuerandum. Hæc enim priuatio eſt in pœnam primi peccati.*

Secunda. *Capitale Maſſilienſium Dogma fuit communem omnibus eſſe gratiam lib. 2. Hiſt. Pelag. pag.* 246.

Tertia. *Adam habuit auxilium proximè ſufficiens ad obſeruationem cuiuſcumque præcepti, & infrà. Infero in ſtatu naturæ lapſæ non omnibus dari, nec præſtò eſſe illud adiutorium. In Vind. pag.* 86. *&* 87.

Quarta. *Reijcienda eſt ſententia illorum, qui dicunt gratiam proximè ſufficientem ſemper adeſſe, nec vnquam legem obligare niſi adſit gratia adiuuans. In Vind. pag.* 88.

Quinta. *Infideles, cùm in Christum non credant, Dei gratiam adimplendam legem naturalem non petunt, vnde nec eandem obſeruant. In Vind. pag.* 96.

Sexta. *Dum petis, vel antequam petas, ſtas ſub lege præcipiente, & non dum habes gratiam adiuuantem: tunc enim non potes facere, quod lex iubet. In Vind. pag.* 88.

Septima. *Illud ex Auguſtino certum eſt, neque fidem poſſe mouere hominem ad petendum auxilium diuinum; ad hoc vt poſſit implere præceptum, niſi Deus infundat gratiam actualem, qua homo moueatur ad orandum. In Vind. pag.* 89.

Octaua. *Vrgente quolibet præcepto non*

adeſt gratia neceſſariò ſufficiens, niſi intermedia actuali oratione. Ibidem pag.86.87.89.

Nona. *Infideles ſine fide, manent tantum ſub lege præcipiente. In Vind. pag.90.*

Decima. *Poſita tentatione: Adamus neutiquam niſi inaniter petiſſet vires eidem reſiſtendi. Ibid. pag.86.*

Vndecima. *Ex Sancto Doctore probauimus non duriùs loqui qui aſſeras in hypotheſi, quòd ſola lex iubeat, nec gratia proximè ſufficiens adſit, eandem legem obligare, & tranſgreſſorem reum eſſe peccati. Ibid. pag.90. & 91.*

Duodecima. *Infideles habent auxilia quadam remota, vnde non patiuntur antecedentem neceſſitatem peccandi, & ideò non excuſantur. Ibid. pag.90.91.*

Decimatertia. *Sententia Auguſtini de prædeſtinatione hominum ad gloriam, ſine vllis præuiſis meritis, eſt doctrina de fide. In Vind. pag.93.289.217.*

Decimaquarta. *Concupiſcentia ſecundum propriam ſuam eſſentiam eſt mala, non autem ſecundum imperfectionem annexam. In Vind. pag.32.*

Hæ propoſitiones videntur ſimiles illis prioribus Michaelis Baij, idcirco eas hic adiungimus, & cum omni humilitate, & ſubmiſſione Eminentiſſimis Dominis Cardinalibus pro noſtra imbecillitate repræſentamus. Et finimus illis verbis Summi Pontificis S. Pij Quinti.

Quæ

Quæ nõ quadrant in nos priuatos Theologos, & miſeros homunculos, ſed documenti cauſa ea proferimus. *Quantum ad nos attinet totis viribus conamur; vt illa* (nouæ opiniones) *ſimul atque proſiliunt penitus opprimantur. Magno enim mærore afficimur, quòd plerique ſpectata alioqui probitatis, & doctrina in varias ſententias offenſionis, & periculi plenas prorumpunt.*

Et alijs verbis Sanctiſſimi Papæ Vrbani Octaui, loquentis in ſua Bulla de Sanctiſſimo Papa Gregorio XIII. *Eorum temeritatem atque audaciam minimè contemnendam, & diſſimulandam cenſuit, ſed ad coërcenda huiuſmodi ingenia, &c.*

Sub Cenſura.

Fr. Ioannes à Guidicciolo Mantuanus.

n. 8 358803

MC